

primi gradus, igitur iunctis illis medicinis simul fiet totum calidum in secundo quia $\frac{1}{2}$ & $1\frac{1}{2}$ faciunt 2. si simul iungantur contra hoc dicit Auerrois igitur medicina frigida in primo gradu mixta calidæ in tertio reducet ad secundum gradum vel ad minus puta ad primum si reducit ad secundum igitur tantum remittetur medicina calida in tertio à medicina calida in primo sicut à frigida in primo & hoc est inconueniens maximum si verò reducet ad primum gradum igitur medicina calida in tertio & frigida in secundo component temperatam secundum Galenum autem quilibet gradus habet tres mansiones initium medium finem erunt igitur duodecim mansiones cum igitur volueris scire in via Galeni temperamentum non multiplica gradus in quantitates vt prius, sed sequendo principia Galeni & non fundamenta conciliatoris sic facito multiplica vnumquodque pondus in suum gradum vt vides & pones seorsum calida à frigidis, temperata autem nulli addes nisi pondus earum. Deinde iunge gradus caliditatis & frigiditatis seorsum

Calida in Tertio	Vnc. 1	3	
Calida in Primo	Vnc. 3	3	
Calida in Secundo	Vnc. 5	10	
Calida in Quarto	Vnc. 2	8	
Temperata	Vnc. 2	24	Calidū
Frigida in Secundo	Vnc. 4	8	
Frigida in Quarto	Vnc. 1	4	
Frigida in Primo	Vnc. 13	13	
		31	25
			24
			$\frac{1}{31}$

& subtrahe vnum ab altero & residuum diuide per aggregatum ponderis omnium medicinarum tam calidarum quam frigidarum & temperatarum & gradus proueniens est quod quæris diuidendo per mansiones, exemplum vides caliditas iuncta est 24. frigiditas est 25. detrahe vnum ex alio remanet frigiditas 1. diuide 1. per 31. quod est pondus omnium medicinarum exit $\frac{1}{31}$ & idè erit hæc medicina frigida in prima mansione primi gradus & propinqua temperamento & ex hoc sequitur quod secundum mentem Galeni medicina multum composita rarissime excedit secundum gradum temperamenti & ad id quod dicit Auerrois igitur medicina frigida in primo gradu si remittit calidam in tertio ad secundum gradum medicina frigida in secundo remittit calidam in tertio ad temperamentum dico quod nec consequentia valet sed medicina frigida in primo reducit calidam in tertio ad primum gradum quod patet multiplicando vt vides in Figura sicut gradus 2. caliditatis diuidendi per vncias duas & ita benefiet medicina calida in primo gradu in ultimo tamen tertie mansionis verum frigida in secundo reducit calidam in tertio ad medium primi gradus in secunda mansione nec hoc est inconueniens, quia multitudo materie tollit intentionem & dato quod esset nos nolumus nunc tu-

Calida in Tertio	Vnc. 1	3	
Figura in Primo	Vnc. 1	1	
		2	2
			2
			1
Calida in Tertio	Vnc. 1	3	
Figura in Secundo	Vnc. 1	2	
		2	1
			2
			$\frac{1}{2}$

tari Galenum sed modum computi secundum eius opinionem ostendere & dictum Galeni vltra hoc quod est naturale concordat cum experimento.

Opinio autem Auerrois est quod medicina frigida in primo remittit calidam in quarto ad tertium & calidum in tertio ad secundum & calidam in secundo ad primum & quod tres vncie medicinæ frigidæ in primo cum Vnc. vna calidæ in tertio componunt medicinam temperatam & quod duplicata portio medicinæ calidæ in tertio faceret medicinam vel opus medicinæ calidæ in quarto & esset venenum & quod medicina calida in primo remittit calidam in tertio minus quam temperata & multo minus quam frigida & idè non remittit eam ad secundum gradum præcisè sed ad secundum cum dimidio vel circa & quod calida in secunda etiam remittit calidam in tertio parum tamen & minus quam calida in primo.

Sed hæc positio est etiam repugnans veritati nam si duplum calidi in tertio æquatur in operatione calidæ in quarto igitur vncia vna succari aut Maluæ aut rei calidæ in primo gradu erit venenum patet quia per ipsum duplum tertij æquatur quarto duplum secundi tertio & duplum primi, secundo igitur octuplum primi æquatur quarto sed dragma euforbij est venenum igitur etiam vncia succari tantumdem enim continet caliditatis vnum quantum aliud & est ex principiis eius, secundo repugnat sibi in dictis nam si Vnc. tres frigidi æquivalent vncie vni calidi vbi frigidum sit in primo & calidum in tertio igitur non oportebit duplicare calidum in tertio vt æqualeat calido in quarto sed sufficet ponere ex calido in tertio Vnc. $1\frac{1}{3}$ & æqualebit Vnc. 1. calidæ in quarto, præterea non est verum vniuersaliter quod gradus æqualiter distent nam vt in experimento apparet longè plus aqua feruens excedit aquam calentem quam calens tepidam, & tepida tepentem, & tepens coæqualem; nam licet modi operandi sint tantum 5. differentia tamen non sunt æquales sicut ætates sunt tres tantum non tamen æqualiter extenduntur vt tamen modum exponam, dico quod secundum Auerroim computari debent frigidæ calidæ & licet in hoc non sibi met conflictet quinimo recidat in opinionem Alchindi quam impugnat volens quod duplicata portio tertij gradus æqualeat intensiue vni portioni ex quarto gradu stando tamen in eius principiis oppones calida frigidis vt vides & pro singulis pones suam contrarietionem